



OC Br

L 206,



LUSUS POETICUS,

In

Illudentes & Insultantes

ORDINI SCHOLASTICO,

SIVE

De frivolo Ordinis Scholastici apud imperitam Multitudinem Contemptu,

Quem

Viris Admod. Reverend. Excell.

Clariss. Consultiss. æquè ac Doctiss. Dominis Ephoris
atq; Scholarchis Scholæ, quæ est Quedlinburgi, famigera-
tissimæ, cum longè Spectatiss. tum sanè
amplissimis,

Patronis, Mecænatibus, Fautoribus, omni obser-
vantie cultu peculiariter devene-
randis

*In sui Commendationem debitâ submissione
exhibet*

CHRISTOPHORUS SUSENBETHUS,

ANNO

VInCIt VIM VIrtVs! IaCet eCCe hâCorbIs & OrCVs!
AonII præstant eXVperantqVc VIrl!

CHRISTOPHORUS
SUSENBETHUS

Typis JOHANNIS OCKELII.

1658





VIRI

Admodum Reverendi, Magni-
fici, Excellentissimi, Amplissimi, Consultissimi, Me-
cœnates, Patroni ac Fautores omni Officiorum cultu
enixissimè prosequendi,

ARrogantiæ nonnullius, vel potius insolentiæ insimulatum me iri, tacitis facile erat colligere auguriis, cogitanti mihi & accuratius apud animum consideranti, moliri me scilicet rem & votis & fatis nostris sublimiorem. Nec multum sane abfuit, quin totum jam desponderem animum, & à proposito planè desisterem, nisi erectus aliunde meliorem ad spem ipse met me excitaverim. Videbam nimirum jam dudum non paucos alienis è castris huc divagantes, qui & ambiendo, & prensando, & nullum non movendo lapidem, gratiam ac benevolentiam à nostratisbus emendicare Mecænatibus summo enitebantur studio. Nec penitus frustrata est spes Autolycos illos audaculos magis quam Authenticos. Etenim, quæ casuum est temeritas, fortunæq; lusus,

Sæpe minus laetus fert lautia - - Ut cecinit ille.
Cæterum ex ipso hoc Argumento ejusmodi mihi nata
videbatur astrictio: Integrum censetur quicquam ex-
tra-

traneo, quid ni & inquilino? Laudi datur conatus Erraneo,
quin potius vel demestico? Industriæ imputatur incognito,
quid ni & proprius noto? Quod si V. M. faventia vestra in a-
lienos unquam sese exeruit plus æquo propensiorem, cur mi-
hi Clienti vestro devotissimo illa fuerit denegata?

Proinde exilia hæc, animus quæ offert bonus & integer, ut
Magnificentia vestra faciliori agnoscat fronte. Musamq; nostram
ne aversetur rudiorem forte & impolitam, precibus obtestor im-
pensissimis. A vestro favore, à vestra gratia salus nostra pendet
universa. Etenim ceu vitis jacet nec fructum fert, nisi ad stipitem
aut arborem applicita: Vix etiam literati, nisi Magnatum gratia
& favore subnixi. Vestra est V. M. qua nos contuemini, benigni-
tas, vestra est, qua nos comple&timini, facilitas, unde nostra viget
prosperitas, floret integritas. Etenim, quomodo fruges non soli
bonitas tantum gignit, sed cœli solisq; fatus & temperies educit
atq; elicit: Sic ingenia & artes non à natura tantum, velut solo
alenda, sed Procerum ac Patronorum benignitate & velut cœlesti
aurâ fovenda atq; attollenda sunt. Ut Munificentia vestra affectum
in nos effundat propensiorem, ipsum flagitat benignitatis pro-
prium, urget Charitatis officium, exigit pietatis temperamentum.
Considerate, quæso, arbores fructibus gradata, illæ, quamvis pro-
ceræ ac robustæ, demittunt tamen ramos, atq, offerunt carpi: Ita
& Viri vera virtute uberes, & benevoli & benefici esse debent ultrò
& ad fruendum invitare inopes.

Benevolentia fottean præstite fructum propensus præstola-
tur animus reciprocum? Ille erit, quem Deus universæ benigni-
tatis Autor & Fautor Evergetis & Benefactoribus omnibus ipse
cum primis destinavit in æternis, in terris utiq; spoondit Thalia
nostra Nomen Vobis nunquam intermoritum. Id quod ratum
gratumq; faxit Divini Numinis Clementia, votis ego expeto pre-
corq; nuncupatissimis.

Magnificent. & Excellent.

Vestra

Devotissimus Cliens

Chr. S.

I.



Xclamat Corydon: Nugas & Iudicra præter
Nil Schola cottidiè desidiosa parat!
Mentiris Corydon, mentiris & invide Sa-
cras

Pieridas frustra dente fremente petis.
Exclamat Corydon: Schola nil nisi pigra
celebrat

Otia, vivit in his, immoriturq; bonis!

Mentiris Corydon: labor est & pervigil usus,
Musæ quævis vites ingeniumq; locant.

Exclamat Corydon: sterilis labor ille Scholarum,
Mutus & brutus discere literulas!

O verè mutum & brutum Corydona bubulum!
Cui præ literulis fæda litura placet.

C. Declinat casum, tempusq; genusq; modumq;,
Turba dicata Scholis, quid mage ridiculum?

¶. O Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?
Quid mage ridiculum? nil nisi quod stolidum.

Sed formare modum, casusq; & tempora nosse,
Hoccine ridiculum? quin magis artis opus!

Numquid id artis opus, totus quo nititur orbis.
Quo Chorus adq; Thorus, quo sibi statq; Forum?

Tolle Scholas, sustolle libros, artesq; sciendi,
Quid nisi Barbaries, quid nisi Lerna manet?

Tolle Scholas, orbis chaos est, incondita moles,
Immò Tartarei fæda Cloaca lacus.

Tolle Scholas, tetulisse puta Solemq; diemq;:
Omnia noctescent Cimmerijs tenebris.

Tolle Scholas, animam Mundo vitamq; tulisti,
Funera jamq; gemens efferet ipse sua.

Tolle

Tolle Scholas, Deus est, quem tollis & ejicis, isthoc
Quid jam sublato porrò Salutis erit?
O cæcas hominum mentes! O pectora cæca!
O conclamatum temporis articulum!
Undivagum rigido sulçabitur æquor aratro,
Navita per bibulos velificabit agros.
Amnigenæ medium pisces per inane volabunt,
Astra geret tellus, robora dura polus.
Unda dabit flamas, miscebitur Orcus Olympo,
Et confusa sibi machina tota ruet.
Ominor hæc: Hominum quia pars paucissima veras
Curat honestates, ad lucra quisquis hiat.
Vulgus iners doctis ignavos exprobrat annos;
Otia nos clamat, pigritiamq; sequi.
Rusticus insulsus, Cerdoq; quadratus honores,
Palladis ast docilis probra minister habet.
Haud fore crediderat majorum culta vetustas;
Sed nihil est quo de non sit habenda fides.
Cur placidus Sophiæ sic despiciatur Alumnus,
Quid, quæso, causæ dic mihi Musa siet?
Scilicet hoc stolidum vulgi pecus admirantur,
Et nimis affectant æris inane lutum.
Hinc nihili faciunt doctos, qui talia spernunt,
Et quærunt famæ dulce perennis opus.
Dulce decus famæ semper Polyhymnia tentat;
Cur tamen obscuro pulvere Musa latet?
Nomina Castalidum quondam celebrata per Orbem,
Cur modò ludibrium? cur modò risus erunt?
Gloria Pegasidum Stipis olim dives opimæ,
Cur hodie est (pudor heu) Musica famæ famæ?
Res agitur vestra hic, faciles O adeste Patroni,
Queis in asyla Deis sint adaperta icis.

Musa

Musa jacet sibi sola favens, sibi solaq; fidens,
Sit nisi Fautorum Numine fulta pio.
Languet Musa peritq; carens Favitoris amore,
Fautor amore regit, Fautor amore tegit.
Algida Musa tepet, Patrum nisi gratia subsit,
Gratia culta calet, gratia cūltā valet.

II.

Illud Musarum Sacrum & venerabile Numen
Prostratum terris sub pedibusq; jacet:
Gloria cuncta tamen sub nube sepulta silenti,
Teste Sopho, latitat quæ caret hujus ope.
Illa Stagiritæ nauci monumenta putantur,
Collata ad Regis fortia gesta sui:
Momenti monumenta tamen plus illa recondunt,
Credite, quām Magni maxima fama VIRI.
Marmora Mœonijs vincunt monumenta libelli,
Vivitur ingenio, cætera mortis erunt.
Næ generosa Ducum virtus quoq; claruit olim,
Dignaq; nobilibus facta superba notis:
Déerat Musa canens, vana atq; ingloria prorsus
Nomina cum putrido funere mersa jacent.
Ast, licet abjectæ fuerit stationis, Alumnum
Artibus instructum Musa perire vetat,
Musa perire vetat: quid ni? labor, arsq; perennant,
Et Comes est studiis, gloria, fama, decūs.
Gloria, fama, decus studium comitantur & artes;
Dic, ubi plus artis, plusve laboris ubi?
Nonne Schola est? Schola, quam studium, labor, arsq; fatigant?
Quæq; stat Aoniis usq; operata Sacris?
Aonidum Sacrata domus sedesq; Sororum
Est Schola, quid dubitas, res facit ipsa fidem.

En

En tibi Apollin eos, en Phœbæosq; Patronos;
Quippe Scholarcharum solda potensq; manus.
Hi sunt Palladii Tutores & Satagéi;
Horum præsidio lauta Lycéa vigent.
Hos Chorus Aoniūm sequitur, Chorus ipse virorum,
Quorum cuiq; Comes ter Soror una Trium
Convenit hic numerus, bene convenit ordo novemplcx,
Certa Novemq; Viris Musa ministrat opus.
Vendicat, ecce, Sibi hic primas BREISERIA Clio,
Palladis alter apex, præses Atlasq; Scholæ.
Proxima Melpemone Clarios SHMIDIANA labores
Artis ad incudem Confabricare studet.
Inde Thalia subit propè BECCERIANA Suävem
Dædalcâ pueris pinsit & arte cibum.
Euterpe hinc sudat FURCHMANNIA, quæ quasi sulcos
Dicit & aonio semina spargit agro.
VVAGNERI dein Terpsychore meletemata format,
Threïciâ Siren psallere docta chely.
Glutinat hinc animos Erato RÖPERIA, præstat
CHRISTOPHORI socias Calliopæa manus.
Tunc iter Uranie ad Cælos BUCHOLTZIA sternit,
FICHTLERIQ; parat dia Pol hymna polum.
Ecce trium-ter habes paria hic fratum atq; sororum,
In socium Schola quos nostra jugavit onus.
Illud Athenæum Quedlæ super Æthera notum,
Sedes alma Jovis Palladiumq; sacrum.
Illud Ephebæum, Cerebro cum Pallade natum
Quod Jovis, ingenii dia Palæstra cluet.
Hic labor, arsq; vigent, studium indefessaq; virtus,
Nec dērunt Musis gloria, fama, decus.
Plaudite Pierides! vestra hæc est gloria, vobis
Præmia post labor hic non moritura feret.

Plau-

Plaudite! divinæ vos laudis adorea mactat!
Quas hic per terras fabula, risus agit
Plaudite! Cælivagis fax famæ militat astris,
Quam nunc invidiæ nubila fusca nigrant.
Plaudite! Thesauris vos undiq; ditat Olympus,
Quas hic pauperies dura famesq; premit.
Plaudite! Stelligeri vos excipit Aula Palatî.
Quas hic caula rudis vel casa curta capit.
Plaudite Pierides! vestra hæc sunt gaudia, vobis
Præmia sunt præstò gloria, fama, decus.

CCCLXV

Viri Clarissimi Erasmi Roterodami
De Scholis judicium. Epist. ad Joh.
Sapidum. p. 43.

Ludi Literarij Magistrum esse, proximum Regno
Munus est. Antu putas sordidam esse functio-
nem, primam illam ætatem tuorum Civium
Optimis literis & Christo statim imbuere, totq; viros
integros patriæ tuæ redere? Stultorum opinione humili-
lius est, Relongè Splendidissimum. Etenim, si Ethnicis
quoq; semper præclarum magnificumq; fuit, de Repu-
blicâ benè mereri, (dicam apertè quod res est) nemo sa-
nè melius de eâ meretur, quam rudis pueritiæ formator,
modò doctus & integer.

INFORMATOR TENERÆ PUBIS.

Cum graviora queam, quod ego puerilia malim
Tractare, in causa est, simplicitatis amor:
Turba tenella quoq; est, gaudet quæ simplice sensu,
Quæ caret invidiæ felle doloq; caret.

Sed



Sed nescis, quanti mihi stet tam parca voluntas,
Et jactura lucri, quam pretiosa cadat.
Religiosus enim sacra si defendere Jovæ,
Sollicitisve velim vendere verba reis,
Incola fæcundas mittet mihi quisq; metretas,
Et fiet nitido turgidus ære sinus,
Nunc male-svada premit me pauperiesq; famesq;,
Et tantum gratis cura scholaris abit.
Næ! non hac veteres contenti sorte fuerunt,
Sed solidum merces grata minerval erat.
Absit id, inquis, & hic tibi merces obvia dives:
Quænam? vah! nescis? Euge monebo, scies.
Pulveris atq; sitûs, pedorum & copia prægnans,
Cum tussi macies & pituita gravis.
Zonula sorte vacans, loculi quoq; semper inanes,
Nil nisi codiculi, nil nisi charta levis.
Ira, seditio, livor, discordia, curæ,
Absq; quiete labor, sine carensq; dolor.
Ludibrium, risus, joca, scomma, calumnia, sannæ,
Sordes sterquilini, perniciesq; mera.
Egregiam vero mercedem & præmia clara,
Quæ parat Athletis tanta Palæstra suis!
Euge Scholæ steriles, & pulpita cassa valete!
Sparta notabilior commodiorq; veni.

Dn. ROTHWANGO Emerito.

Quedliacæ Cultor non inficiande Camænz,
ROTHWANGI teneræ pubis amata Salus;
Lustra ferè docilem formas bis quina juventam,
Æra meresq; Scholæ pulvereumq; situm.
O labor Herculeus! ter & O grave pondus Atlantis!
O ter Sisophiâ Saxa voluta manu!

B

Forti-

Fortiter Alcides bissenq; monstra domabat ;
Atlas astra levat, Sisyphie Saxa geris.
Tergeminus tamen hic labor ad monstrofa Scholarum
Exantlata parum tot mala fata facit.
Hic gemit Alcides, Atlantis viscera sudant,
Sisyphios gemitus hic lapis ipse gemit.
Est labor indomitus, labor est hic viribus impar
Humanis, tenta, frivole, si cor habes.
Sed bene habent! rude donatum, ecce, Ter-inclyta Princeps,
Nostra Gubernatrix te jubet esse ratâ.
Jam vacat Herculeus, vacat & labor Atlantæus,
Sisyphium cessat nunc onus atq; lapis.
Gratâ prende manu, quæ porrigit Illa Scholarum
Nutrix Illustris, prende lubente manu.
Hoc unum restat, cælo cætuq; beatûm
Instar Atlantis ut ac Herculis inserier.
Ne dubitato, tenes Cælos, non Herculis illos,
Sed quos Christigenæ cælicolæq; tenent.
Ulterc sorte tuâ feliciter utere partis
Votis & fatis, utere, vive, vale!

ANNO.

OCCVpat aLter agros, Veteres MIgrate CoLonI,
PaX! paX! IoVa VICes VoLVere Ita Ipse
soLet.

Ad Mecænatem.

Da mihi præsidium, vitæq; levamen egenæ,
Otia da Curis, ingeniumq; dabo.

CO.



COROLLARIA.

Ad Musam.

Sed latuisse sat est! jam Musa recollige vires,
Exere Virtutem Mascula Musa tuam.
Lethæo visa es tenus hac Sopita veterno:
Protinus evigila Musa refelle nefas.
Impetit Osor iners, Fortuna noverca fatigat,
Gaudet ut enectæ ludere præda Feræ.
Vivis adhuc? an tota neci prostrata recumbis?
Quantum ego te novi, non ita tota jaces.
Fortes sume animos! odij sortisq; Sinistræ
Hostica victrici tela retunde manu
En Pharetram validasq; ministrat Apollo sagittas,
Queis aciem adversam retrò ferire queas.
Ingruat atra lues odij, fera fata furantq;
Sta Musa! exuperas, cuncta inimica ruunt.

CHRISTUS Redivivus.

Aeterna Æterni soboles Patris, arbore dirâ
Heu! subit infandæ tristia fata necis. **M**
Proq; reis insons sine crimine crimina tetra,
Immeritas pœnas suppliciumq; luit.
En! quam sanguinei fluat ingens Copia roris,
Hic animæ sordes spurcitiemq; lavat.
Diraq; Chirographi delet monumenta, furorem
Placat & irati Victima gata Patris,
Quin Phlegethonxi subvertit Regna Tyranni,
Sulphurciq; domat flammea busta rogi.
Leniter obdormit sacrum caput inclinatus,
Dulce soporis agon noster ut instar cat,
Petroso voluit tumulo Sacra funera condi,
Nequa barathra Soli sint mctuenda pijs.

Jam REDIVIVUS adeſt! neq; mors, neq; saxa morantur
Surgentem, vigilum nec truculenta manus.
Inde triumphatis Orciq; Orbisq; catervis.
Ad regna evehitur cælica victor ovans.
Jam residetq; Patris validâ super Æthere dextrâ,
Altithrono subigens cuncta inimica pede.
Macte novâ virtute tuâ! Rex inclyte Jesu!
Et solidas laudes affere porro tuas.
Respice nos miseros, miserûm miserere precantum,
Et placata gregi lumina flecte tuo.
Fac nos esse Lytri, fac participesq; piaci,
Fac simus semper Turba dicata tibi.
Et tandem æthereis pariter nos infere Cyclis,
Quicis mera prosperitas delitiæq; vigent.
Hinc & honos Nomenq; tuum, laudesq; canentur,
Ter-Sanctum angelico congeminante Choro.

Ad præpostorè Largum.

Muneræ divitibus dives qui mittis opima,
Ecquis te largum munificumq; vocet?
Improbius nihil est, nihil est vel ineptius illo,
Qui volat insidias dona vocare suas.
Sic avidis fallax indulget piscibus hamus,
Callida sic stultas decipit esca feras.
Subdola sic crassis tenduntur retia turdis
Pinguis & implitas virga prehendit aves.
Quid sit largiri, quid sit dare, disce, monebo;
Vis dare cum fructu? Tu dato pauperibus.
Vis dare cum lucro, miseris donabis egenis;
Vis dare cum plausu? presso inopiq; dato.

Quæ

Quæ sibi dives habet, tacitis exposta periclis
Haud solus tutâ proprietate tenet.
Copia nummorum est; fur insidiatur & auferi:
Pabula Vulcani splendida testa fovent.
Sunt armenta tibi pecorum; levis instat abactor:
Aut ea pestiferâ tabe soluta cadunt.
Debitor est; ille usuram sortemq; negabit;
Semina nec semper jacta refundit ager.
Per pelagus Lybicas cogit tibi navita Gazas,
Mercibus extructas obruit unda rates.
Nequitias Uxor, nati, servusq; tetendit;
Tot sua quis potis est expedijisse plagis?
Extra fotunam est, quicquid donatur egenis;
Quas dederis solas semper habebis opes.

LIVIDO.

Ringeris & lives; quid ringeris, invide, quidnam?
Ringere seu mavis rumpere Livor edax!
Siccine Virtutem satagis pessundare vecors?
Et solus gaudes eminuisse tibi?
Ah miser! es frustra: tua jam fortuna laborat;
In tua flebiliter viscera tute furis.
Grandis ut exiguum bos ranam ruperat olim,
Sic tumidam Virtus rumpet & invidiam.

Seculum exulceratum.

Secula, Secula sunt, sed non sunt Secula prisca,
Secula, quæ modò sunt ultima Secla vehunt.
Tempora, tempora sunt, sed non sunt tempora prisca,
Tempora prisca volant, tempora prisca valent.
Dic, ubi prisca fides? ubi virtus, curaq; recti?
Candor in hoc avo res moribunda cubat,

Tulli.

Tullius, O mores! O tempora! clamitat olim.

Cum flueret vitijs languida Roma suis.

Tullii si fuerint tercenteni haec tenus, iisdem

Non nisi vox isthac usq; iteranda foret.

O secla! O mores! O mundi degener ætas!

O fera pestiferi copia seminij!

Omne in præcipiti crimen se vertit & ultrò

Postuma turba furens in sua fata ruit,

Ah! utinam domitis tandem, Jove dante, piacis

Falciferi redeant aurea lustra senis.

Hostium insultus ludendo elidendos.

Qui Soleam, vis nosse, meos ulciscier hostes?

Accipe; non rabidâ mens mihi bile tumet.

Incessunt, cesso: culpant, fero, sœva minantur,

Nil metuo: spargunt crimina, non moveor.

Obtrectant, sileo: ringuntur, nescio rigitus:

Lædunt, non lædor: verbera dant, vapulo:

Improperant, propè sum: frendent, nil talia curo:

Carpunt, dissimulo: dant mihi probra, probos:

Exagitant, age sit: mordent, non mordeo retro:

Derident, ridet nostra Thalia magis:

Turbidiore notant me lumine, comiter illos

Intucor: torquent labra, laboreo nihil.

Allatrant, lateo: vexant, vexatio cordi est:

Insultant, salto: damna parant, patior.

Insidias tendunt, caveo: lethalia tentant,

Conditus æthereo tegmine tutus ago.

Diris devoto mihi pessima cuncta precantur,

Pessima molitis optima quæq; precor.

Ad fabricant technas morbis & morte nocentes,

Commendo votis me precibusq; Deo.

illu²

Omnia



Omnia cum tentent penitus capitalia nobis,
PROBRA, MINAS, RISUM, VERBERA, DAMNA, NECEM:
Non tamen attremuit dio mens fulta favore,
Quin juvat his toties vel graviora pati.
Omnia quin superat pietas, patientia, virtus,
In fractis animis frangitur hostis atrox.
O luctam insolitam! nimis O victoria mira!
Dum pateris, vincis, dum toleras, superas.
Esse quid hoc dicam? Numquid contraria possit
Vincere neglecto Marte caterva suo?
Hic vixtus vincit: sed par certamine dispar,
Quod gerit hinc Dæmon, inde propago Dei.
Scilicet adversæ molimina noxia turbæ
Cor placidum ludit, mensq; quieta domat.
En jacet hic hostis brachio prostratus incerti:
Hostibus insultat, qui silet atq; subit.
Sic Antæus humo vires animumq; resumit,
Fortior è lapsu surrigiturq; suo.
Pondere pressa suo sic palma exurgit in auras,
Suppeditat vires sarcina nata sibi.
Ignem cæsa silex, & aquam dat spongia pressa,
Læsa magis virtus crescit & alta petit.
Cernitur ignicremis auri præstantia flammis,
Unde magis rutilum splendidiusq; redit.
Quem varijs anceps exercuit alca Martis
Cladibus, eluctans jam modò vixor ovat
Nauta procelloso jactatus ab æquore, tandem
Alluit ad portum tutus ab imbre freti.
Sic exantlatis sequioris agonibus auræ
Mascula prædurum Musa triumphat opus.
Sic Christjana cohors excrescit & altius hosti
Eminet, intrepidè pertolerando malum.

Sunt



Sunt animo placide leviora pericla ferenti,
Sortis onus subigit mens moderata malæ.
Mirum vincendi genus est patientia, vincit,
Qui patitur, si vis vincere, disce pati,
CEDENDO SUPERO, cedendo cædimus hostem,
Ipsius arma hæc sunt & panoplia Dei.

XLII

I N E A N D E M S E N T E N T I A M
L I P S I U S.

Nonne scimus arbores, quæ juxta vias sunt, saxis
& fustibus peti sæpius: Non secus & homines
linguarum his telis, qui in limite melioris famæ.
Non tamen ea nocent, immo juvant. Et ut frumentum
titura folliculos exuit ac deponit; sic nos concussiunculis
illis paleas, si forte.

τέρπει πρότερον.

Esse quid hoc dicam, dignis quod digna negantur?
Præmia quod raro dignus honore refert?
Eluvies secli, & male-fidi injuria fati est,
Hæc infensa bonis est & amica malis.
Esse quid hoc dicam, quod honora negantur honoris?
Quod raro emergunt ingenium & probitas?
Invidiæ mores id consuevère maligni,
Supprimit hæc meritos, immeritosq; levat.
Si margita rudis, sic pondus inutile terræ
Eminet è reliquis & potiora tenet.
Sic mendosus habet suffragia laudis Agyrta,
Spurnitur ingenui docta Thalia viri,

Sæpe

Sæpe corona id plauscere Thætrâ bubulco,
Turpiter explosa est Calliopea gravis.
Sic Capitolino celebratur Hypocrita plausus
Candida Melpemone (proh pudor!) alget inops.
O Secla! O mores! Mens O ter-persida sortis!
Semper in innocuos quid tua damna paras?
Ad tempus ludis: manet ausus exitus impar;
Quin bona deterius causa triumphat opus.
Præfica festina laudis, mea gloria, lente,
Si post fata venit, sat citò fama venit.

Phæbus.

Viderat ut nostram Phæbus languescere Musam
Ridiculis mimis invidiæq; minis,
Haud meus hic vates, ait, haud succumbat inermi
Marte, coërcenda est arte maligna manus:
Huc ades Uranie, mea Calliopea venito!
Assere progeniem protegitoq; meam!
Protinus in stomachum conversus & acriter iram;
Talia suppressâ murmura voce dedit:
Mome meas audes cur impugnare Camænas?
Quid cantare sicut PITHIA, disce prius!

Censori iniquo.

Censor ades Cense, prius at modò propria quæ sunt,
Censor es alterius, Cæculus ipse tibi.
Stulte, peregrinæ correptor habebere mendæ!
Propria dum lacerum cura fatigat opus?
Candida simpliciter quæ vult extare Thalia,
Illa sinistrorum livida sensa trahunt,
Candida Candidulis profert mens omnia sensis,
Livor at invidulis nubibus ista nigrat.

C

Super

Super h̄is extat Aphorismus Tullij:

Non tam interest, quo animo aliquid scribatur,
quām quo accipiatut. E. 85. a.

Rigor Christianus. Parod. V. M. Ep. 41. p. 66. l. 2.

Ride, sisapis, Obeate, ride!
Plaude, sisapis, Obeate, plaudē!
Olim sic Epicure sanciebas;
Lex hæc perplacet omnibus diebus,
Lex hæc prævalet omnibusq; punctis.
Hanc proles male-feriata mundi
Solennem tenet, asserit ratamq;.
Sed tu non ita, qui fidelis audis
Supremi soboles comesq; Jovæ.
Credas, est opus hic tibi rigore,
Sed plane solidōq; serioq;;
Debes non aliter timere risum,
Debes non aliter cavere plausum,
Quām cretata timet tabella nimbū,
Cerussata timet tabella Solem.
Vultus indue tu magis severos,
Misantropus ut acer ille Timon,
Mimos ridiculiq; Morionis
Et convivia nequiora vita,
Nugas lætificas facetiasq; ,
Et quicquid lepidâ procacitate
Diducit petulante labra risu.
Te mæstis decet assidere Musis,

Et



Et lugere piacula tētriorā,
Et tantum tragicis vacare curis.
Hoc si consilium tibi probatur,
Plora, sisapis, Omiselle, plora!
Luge, sisapis, Omiselle, luge!

OMNIA INGRATA

Ex N.

Ips vineas, & Cornua,
Frumenta Cis, Trips arbores,
Is vitra, Sis velamina,
Fabas Midas arrodere,
Nascuntur in quibus, solent.
Nihil minus sic, à quibus
Ferant iniquam gratiam,
Consul, Magister & Parens,
Tutor, Patronus, atq; Herus,
Ipes, Cies, Tries, Jēs
Sites, Midasq; habent suos.

Ad Momum. V. M. P.

Quilibet urgetur mendis homio, Mome, quid ad te?
Ludibrium fatis ille vel ille suis.
Claudicat hic talo male truncō, Mome quid ad te?
Ad numerum graviter tu moderare gradum.
Pauper & orbatus nummis hic, Mome quid ad te?
Si tua sat dives Zona nomisma gerit?
Intumet ære tenax huic farta crumena, quid ad te?
Non labor est loculis Mome subinde tuis.
In lucem stertit mendicus; Mome quid ad te?
Si vigilat pernox, Mome, lucerna tibi?

C 2

Eft

Est hic obseratus nimium: dic Mome, quid ad te?

Non debes alijs, dives abunde clues.

Illud dissimulas, O Mome, quod attinet ad te,

Quodq; magis curæ convenit esse tuæ.

Mome peregrinis ornare coloribus, ad te

Attinet; attinet ad te, sapis alta nimis.

Ipse tui mirator, amator es: attinet ad te;

Ad te, grande geris Mome supercilium,

Sexagies poteram memorare quod attinet ad te,

Mome, sed ad me nil quod facis ipse, facit.

Ad Lectorem.

Non est ad stomachum cuiusvis nostra Thalia;

Illa probata, probus sis modo Lector, crit.

Ecquis erit, cunctis poterit qui cuncta probare?

Pluribus interdum deteriora placent.

Pessima sunt turbæ; delectant pessima plures:

Raros rara juvant: vult meliora probus.

Sunt bona rara, ast sunt contra mala pleraq;, rariss

Haud mala turba favet, pessima semper amat.

Ergo quid innumeris te non placuisse laboras?

Sint rari atq; probi, quicis proba nostra, sat est!

Sententiam hanc nostram calculo suo absolvere videtur

Plutarchus Autogravissimus:

Τὸς πολλοῖς αἴρεσκεν, τη̄ς οὐδοῖς δέν αἴωρέσκεν.

Nec abs re Seneca:

Nunquam, inquit, tam benècum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant; Argumentum pessimi turba est. **C**ui adstipulatur Venusinus:

... --- Neq; , te ut miretur turba, labores,

Contentus paucis lectoribus: an tua demens

Vilibus in ludis dictari carmina malis?

Non ego: nam satis est Equitem mihi plaudere. —

Anni-

Antigenidas probatæ apud Græcos solertiæ Musi-
cus Discipulo suo magni quidem profectus, sed parum
feliciter populo se probanti, cunctis audientibus
dixit: **M I H I C A N E E T M U S I S!** Nimirum perfe-
cta ars fortunæ lenocinio defecta, fiduciâ justâ non
exuitur, quamq; scit se laudem mereri, eam, etsi ab
alijs non impetrat, doméstico tamen acceptam judicio
refert.

Æsopi fassiperium:

M Antica Pythagoræ, discrimine sc̄cta biformi,
Humanæ speciem conditionis agit,
Pondus inane jacens humeris, pars pendula pectus
Atterit anterius, pars retrò terga ferit.
Crimina condit homo hic utrinsecus, & locat antē
Quæ sunt alterius; quæ sua, post sita sunt.
Hinc fit inalterius vitium tam Censor acutus,
Sed minus advertit, quod gerit ipse nefas.

Ἐχη Θεὸς ἔκδικον οὐμα.

P Attrahit tacitis scelerata piacula furtis,
Sed notat ultrici lumine cuncta Deus,
Plurima dissimulat Jovis ira, sed improba demum
Excutitur rigidis Diphthera s̄pē modis,
Autorem repetitq; suum scelus atq; nefando
Exemplo premitur per sua gesta nocens.

Z O I L O.

Non mea sunt hæc sola, scio; quid porr̄o requiris?
Cur tua non edis, Zoile, sola, quid est?

Epi-

Epilogus apologeticus

Ad Lectorem Benevolum.

Non est, integerrime Lector, cur sinistri quid suspicere, ac si vel auram vel aurum, (quibus admiratores amatoresq; sui avidissimè quidem inhibere, jam dudum liquido liquidius liquet) rudis nostra affectet hæc pagina; Neutrum horum me hic aucupari certo certius tibi persuadeas velim. Eatenus unicè duntaxat desudat calamus noster, aliorum lacesitus potius insubiditate, quam propria voluntate ætus, uti nimirum & animi simplicitatem, & candoris integritatem à virulentâ malevolorum asserat suggillatione vindicetq;, quâ illi modò ignavo me otio torpescensem, modò cuticulæ prænimis curandæ indulgentem, modò ignorantia atq; inscitiæ volutabro delitescentem, multitudini plus satis credulæ egregiè sane traduxerunt. At verò, quam falsò, quâm citra omnem veritatis Calculum, quâm summa Christianæ cum charitatis jactura, quâm extremo cum propriæ Salutis dispendio ab ipsis hoc factitatum sit, illi ipsi videant. Quin imò, quod res est, id ipsum planum facere satagit quodam modo calamus noster haudquam ambitiosus, qui in eo potissimum totus est, ut Vulneri nostro plusquam Chironio, à perfido novercantis nuper fortunæ telo doloq; præter expectationem satis cum discrimine nobis inficto, amarulentisq; Sycophantarum insultibus identidem recru-

recrudescenti, aliqua saltem supperat medela, ad leniens-
dos non nihil dolores acerbissimos: Monasteriorum
præterea nonnulli tempestivè ad animum revocent,
nemini mortalium, vel inter sapientissimos, neq; inte-
grum, neq; decorum fore, sicunde alterius famæ labecu-
lam aspergere tentet, exinde laudis aliquam & gloriolæ
faculam sibi accendere conetur: Cerebrosis deniq; San-
nionibus, (verius dixerim Christophoromastigibus)
quadamtenus in propatulo siet, neutquam fore evani-
dum pervagatum illud atq; tritum:

Etiam ex pilo sua umbra!

Vale Favissime Lector, &, si non nihil arriserint hæc,
propediem plura expecta; iterum Vale.

F I N I S.



mit dem
einen der
seitlichen
Säulen und
unterhalb
dieser auf
einem
Konsolstein
die
Familie
der
Habsburg

Lest den auf dem Kommt
die
Familie
der
Habsburg

211

28106

ULB Halle
007 104 618


3



UD17







DETICUS;
Insultantes
HOLASTICO,
VE
scilicet apud imperitam Multitudinem tempus,
m
everend. Excell
Doctiss. Dominis Ephoris
est Quedlinburgi, famigera.
Speciatiss. tum sanè
issimis,
Fautoribus, omni obser-
ulariter devenc-
dis
em debitâ submissione
ibes
SUSENBETHUS.
NO
et cCCe hâCorbIs & OrCVs!
Vperantq Vc VIrI!